

Daniel Tossanus

## **Thesium Theologicarum Contra Pseud-Evangelicos**

Editio Secunda, Steinfurti: Caesar, 1605

**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746574126>**

Druck Freier  Zugang









95

52<sup>b</sup>. 6.



Ja 1092 (95.)



Tomo hoc XLVII. continentur:

1. Dicherni Icarus Academicus Norimb 1643.
2. Acclamatione propempticae Academiae Genensis cum eo discederet idem Dichernus.
3. Orationes inauouatae Academiae Ludunensis Batavoru.  
Anno. 1620.
4. Polvardi. Walaei.
5. Thysii.
6. Hommii.
7. Sinapij.
8. Rauri Pancognica Orientalibus linguis Trajecti ditta. 1693.
9. Hier. Welleri Conspitium de studio Theol. Rostoch. 1617.
10. Simile D. Joh. Quistorpii Rostoch. 1643.
11. Iusti Ione oratio de eodem argumento. ibid. 1644.
12. Dan. Heimfii. Homilia in Natalem Domini. Lugd. 1613.
13. —. In Christi Passionem. ibid eod.
14. Quistorpij de Vinibus liberi Arbitrii coll. Cor III, 4. s. 1645.
15. Samhauen Dominij gloria crucifixus. 1633.
16. —. De Melchisedeco e Gen. xlv. 1634.
17. Iacobus Martini de Causa Peccati. 1639.
18. —. Analysis Capitis Vad. Romanor. eodem.
19. Dorschauc De tribus testibus in Terra. 1 Jo. V, 8. 1635.
20. —. De Peccato originali. eod.
21. —. Synopsis Theol. Zachariana.
22. —. ad Hebr. xiii, 8. 1643.
23. —. ad Act. xv, 27. 28. 1646.



24. D. Mentzerus de Ecclesia. 1608.
25. D. Hamekenig de Persona Christi. 1645.
26. D. Cothmannig de Predestinatione. Rostoh. 1692.
27. ———. Pars II. —
28. Jo. Croig de Orthodoxa Fidei Delectu Marp. 1619.
29. ———. Ivano. per Europā Doctrina cum script. S. conformitas.
30. ———. De Apostolici nominis causis.
31. ———. De Apostolica Ecclesiarū Ivang. Doctrina.
32. ———. De Catholicismo Eccl. Ivangelicae.
33. ———. De Antiquitate Relig. Ivangelicae.
34. Gocklenii Theses Apologeticae contra Pinkium. 1606.
35. ———. De Analogia seu proportione.
36. Pezelius de S. Coena Stempforti 1602.
37. Jossani Theses contra Ivangelicos. ibid. 1605.
38. Ravenspergeri Samyon redivivus. ibid. 1614.
39. Heyderi Lucae questionum Theol. Marburgi. 1611.
40. Eolini de Generaloria Christi. ibid. 1608.
41. ———. De Fide justificante. ibid. 1617.
42. ———. De Peccato in Spiritum S. cod. 44 β. Croig de Peccato  
de Baptismo.
43. ———. De Predestinatione. ibid. 1619.
44. <sup>Compendium Annotatum Poeticum</sup> Conradig Vorshig de Idolatria Pontificum in cultu Iurhani.
45. ———. Iste Stempfort. 1608.
46. ———. De Idolatria eorundē in cultu sanctorum.
47. ———. ———. In cultu Imaginum.
48. ———. ———. In cultu ipsius Pontificis.



49. P. Petri Roestii Soc. Jes. Disputatio Paradisiaca
50. Corradi Vossii Oratio Apologetica in  
pleno Confessu Ordinum Hollandiae et Westphaliae ha-  
bita. Hart. Martij. 1612.
51. Ebelius de Generatione et Corruptione Flum.  
Giesae. 1646.
52. — De Anima Flum Simplitate. 1644.
53. — Decade IV. Conclusionum Metaphysicaru. 1646.

1. 8. 3. 7.

2. 11. 4.

3. 29.

4. 38.

5. 39.

6. 50.

7. 43. 49.

8. 44. 48.

9. 47.

10. 46.



A - Q	A - D
16	A - C
35	A - C
30	A - C
A - C	A - C
20	65
40	A - C
A - B	48
-	A
A - B	16
35	A
B - 36	A - C
A - 80	A - C
A - C	A - C
A - B	A - C
A - B	A - B
A - 8	A - K
A - 8	51
A - 80	24
40	24
128	20
72	
A - 8	
A - D	
14	
16	
32	
A - G B	
A - B	
A - C	
A - B	
A - C	
A - C	
B - 61	
A - D	



37.  
34.


*Thesium Theologicarum*

**CONTRA PSEUD-  
EUANGELICOS, PROPO-  
SITARUM AC EDITARUM IN ACA-  
demia Heidelbergensi, ut de iis Christiana ΣΥΖΗΤΗΣΙΣ  
institueretur, cal. Novemb. anno 1595.**

*Praside & Auctore DANIELE TOSSANO,  
S. Theolog. Doctore & Professore*

**EDITIO SECUNDA.**

*Cui accessit Tractatus brevis & perspi-  
cuis de Opere operato, magna sui parte  
ex Praelectionibus D. Gasparis Ole-  
viani excerptus.*



**STEINFURTI**  
Excudebat Theophilus Caser.  

---

**ANNO MD. LXXV.**

34  
35  
36  
38  
39  
41  
42  
50  
43  
49  
44-48  
447  
46



PRÆFATIO JOHANNIS PERIZONI  
NII Eccles. Rhedanæ Ministri.

**H**AS D. Tossani Theses, Christiane Lector, in hisce oris  
plerisq; hominibus penitus innotescere pridem opta-  
vi, & in eum finem his in locis recudendas esse censei:  
idq; variis ob causas, tam Pontificios, quam veros Evangelicos,  
itemq; Pseudeuangelicos concernentes. Propter Pontificios qui-  
dem, q̄a eos video in compluribus eisq; diversis Scriptis, ex Lu-  
theri, Jacobi Andrea, Andr. Musculi, Joh. Calvini &c. que-  
relis & invec̄tivis in profanos ac dissolutos hujus seculi mores,  
plausibiliter ac speciosè, sed tamen falso colligere, Evangelium  
nos novum, h. e. Pseudeuangelium docere. Quibus idem pri-  
mò responderi potest, quod hic thes. 44. & 45. respondetur.

Deinde, illos id quod volunt, non nisi temerè & calumniosè  
concludere, cum ex illis ipsis, quas adducunt, Evangelicorum do-  
ctorum adversus pseudeuangelicos expositationibus, tum ex  
aliis eorundem quam pluribus editis scriptis (quo in numero hæc  
quoq; theses) disertè liquet. Si enim Evangelio, quod profite-  
mur & docemus, ejusmodi flagitiosa vita plantaretur (ut illi calu-  
mniantur) non jam adhibita Evangelii ejusdem luce, ea vitia  
arguerentur ab illis ipsis, qui illud depradicant. Evangelium lux  
est: Certissimum autem presentis lucis argumentum, si nã vi in  
hominibus aperiatur: nec est lux, quæ maculas obtegat, & ve-  
ros commendat. Tenebrarum illud proprium est: Lucis autem  
arguere opera mala. Itaq; Pontificii eam lucem sua doctrina, ri-  
tibus & moribus inferri nolunt, ne conspiciantur & arguan-  
tur eorum opera mala.

Tertiò, conquerimur interim meritò, & deploramus, inve-  
niri passim inter nos, homines mundo & carni deditos, qui sub  
Evangelii prætextu, ita vivunt, ut illud propter ipsos malè au-  
diat:

Ben. Atet:  
Joh. 3.



P R A E F A T I O.

diat: Neq; deesse doctores, qui fidem in Christum ita praedicant, <sup>Gualt. sup</sup> ut mortificationis carnis, regenerationis, obedientiae fidei, nulla <sup>Matt. cap. 23.</sup> vel raram mentionem faciant; & insuper mundo, veniri, & gula addicti, exemplo suo aliis perditae vivendi ansam praebeant. Sed non debet istorum ignavia & improbitas Evangelio fraudi esse; quum tales quoq; ipso Apostolorum tempore exstiterint, quorum finis exitium, quorum Deus venter fuit, & gloria in confusione eorum. Tales canes & malos operarios ibidem cavere nos jubet. <sup>Philipp. 3.</sup> Apostolus; non autem Evangelio imputari vult, quidquid illi designant. Maxime cum nostri homines voce & scriptis testentur, eos non esse Evangelicos, aut vera Ecclesiae membra; sed sordes, excrementa & ulcera corporis Ecclesiastici, seu Pseudeuangelicos & nominatenus Christianos.

Ad orthodoxos autem seu Evangelicos quod attinet, habent & illi ex his thesibus aliquid observandum, quod in exulcerato hoc seculo ad sedulam ac diligentem suae salutis curam agendam ipsos securos excitet, & alia ratione etiam usui eis esse possit: si videlicet bene consideraverint, quid Evangelio Christi sit conforme, quid item sit Evangelicum sive Christi, seu Christianum esse. thes. 39. Non igitur palpones ejusmodi quarent, qui ipsis aures fricent, qui per dulces sermones & benedictiones corda hominum simplicium decipiant: Sed eos potius, qui salē Evangelicum in se habeant, auditores ipsorum quo condiantur, ne in peccatis computrescant ac faeteant coram DEO: quiq; conscientias salubri morfu pungant, vitam nostram saliant & sapidam, DEOq; placentem reddant. Nulla enim remedia, quae vulneribus adhibentur, tam sunt salutaria, quam qua faciunt dolorem.

Præcipuè verò Evangelii doctores & pastores ex toto hoc thesium corpusculo, tum maxime ex 31. & penultima persficient, <sup>Rom. 16.</sup> contra quos imprimis hostes hoc tempore (quo non jam instant, sed palam extant ea mala, quae praedixit <sup>1. Tim. 3.</sup> Apostolus.)



P R A E F A T I O.

eos pugnare oporteat: nempe contra Pseudeuangelicos, quos in  
 sinu suo fovent. Quid item frequentissime & maximè seriò in  
 S. concionibus inculcare debeant, si servi frugi & fideles esse ve-  
 lint; nempe ut bona opera & vera fidei fructus exigendos, &  
 contra mortuam fidem dimicandum esse norint, ut in canoni-  
 cis seu potiùs cathol. exemplorum epistolis fieri videmus. Si-  
 cut & Augustinus lib. de Fide & Operibus observat, exortam  
 Apostoli Pauli tempore opinionem, qua multi solam fidem ad  
 salutem ita sufficere putarunt, ut bene vivere, seu bonis operib.  
 viam DEI tenere neglexerint. Quoniam, inquit, hac opinio  
 tunc fuerat exorta, alia apostolica epistola Petri, Johannis, Jaco-  
 bi, Judæ contra eam maximè dirigunt intentionem, ut vehemè-  
 ter astruant; fidem sine operibus nihil prodesse: sicut etiam ipse  
 Paulus, non qualemlibet fidem, qua in Deum creditur, sed eam  
 salubrem planeq. Evangelicam definiuit, cujus opera ex dilecti-  
 one procedunt: sed fides, inquit, qua per dilectionem opatur, & c.  
 Haftenus Augustinus.

Gal. 5.

Tit. 3.

Matth. 6.

Postremò, hac etiam propter ipsos Pseudeuangelicos nostros  
 adornari, maximè eos de quibus Tossanus thesi 23. loquitur.  
 Quos, cum nihil bonorum ipsi facere velint, male habet, si pii  
 pastores moneant, ut, qui fidem in Christo receperint, in statu  
 bonorum operum inveniantur. Nam si audiant docui, non eù,  
 qui dicit Domine, Domine; sed qui facit voluntatem Patris cæ-  
 lestis, introiturum in regnum DEI: tum illi nescio quid de Ope-  
 re operato grunire occipiunt, illud scilicet hoc pacto statui ac in-  
 troduci. Quod quàm falsò & impudenter, vel saltem impru-  
 denter isti querantur, ac quàm turpiter bonos viros hic saepe ca-  
 lumnientur, ex hac de Opere operato tractatiuncula omnes per-  
 spicient: quam idcirco visum est hisce thesibus adjuere, ut qua-  
 sitam Pontificiorum de Opere operato sententia sit, & quàm ni-

31



P R A E F A T I O.

*Vilista cum salutari orthodoxorum doctrina, de necessaria bonorum operum praestatione, commune habeat, omnes aperte cognoscere, tantoq; facilius ad studium verae pietatis & sanctimoniae impelli atq; inflammari possint. Hoc enim studio vocatione & electionem nostram firmam efficere, deq; vera in Christum fide nos ipsos in Domino certiores reddere, & sic porro certissimam salutis aeternae spem in amicis vestris alere ac fovere non modo possumus, verum etiam debemus.*



7.  
38.  
39.  
41.  
42.  
50.  
43.  
49.  
4448.  
449.  
46.





## THESES CONTRA PSEUD- euangelicos.

### THESIS PRIMA.

**S** I argumentum aliquod hodie necessario, & tamen circumspicere ac prudenter tractandum, beneque in Ecclesia expendendum est; istud omnino esse videtur, quod veros Euangelicos à pseudoeuangelicis distinguit.

#### II.

Necessario quidem: tum propter gravissimas commonefactiones Scripturæ, quales sunt hæ: Matth. 7. *Non quisquis dicit mihi Domine, Domine, introibit in regnum cælorum.* Item. 2. Tim. 3. *In extremis temporibus multos fore, qui formam pietatis habeant: sed qui vim ejus abnegent.* Item Hebr. 4. *Multis euangelizatum fuisse sermonem vitæ, quibus non profuerit: quòd eorum auditus vera fide cõtemperatus non esset.* Et 2. Pet. 2. *satiùs fuisse multis non cognovisse viam Justitiæ, quàm illa cognita, regredi à sancta doctrina ipsis tradita.* Tum quia res ipsa loquitur, eos qui hodie se maximè scientiâ abundare putant, conscientiæ parum habere: turpissimis vitiis servire, qui se liberos, liberaliumque artium studiosos profitentur: mortuos denique pauperes & cecos esse, ut loquitur in Apocalypsi B. Johannes, eos qui se splendide ac in rerum omnium affluentia vivere existimant.

#### III.

Prudenter autem & circumspicere de hoc argumento idcirco differendum est, ne vel in Donatistarum & Anabaptistarum scopulos incidamus, qui propter multos pseudoeuangelicos, secessionem ab Ecclesia fecerunt: Vel errores, falsasque ratiocinationes Schyvenckfeldii, quibus copiosus ejus tractatus



status de Euangelio, & abusu Euangelii refertus est, confir-  
mare videamur.

IV.

Nos igitur in his thesibus, hunc ordinem tenebimus, ut  
primùm ex D E I verbo recognoscamus & doceamus, quia  
re ipsa sint Euangelici, sive quid Euangelio Christi, & profi-  
temur, sit consentaneum. Deinde quantoperè multi hodie ab  
illa Euangelii sincera professione aberrant, sive quanam sint  
pseudeuangelici. Postremò nonnullas Schismaticorum, &  
Schvvenckfeldii falsas conclusiones paucis refutabimus.

V.

Ad Euangelii, id est, doctrinæ de filio D E I in nostra carne  
manifestato, e jusque gratia & beneficiis, veritatem, sive veri-  
ac salutarem professionem, duo hæc requiri, monet Apосто-  
lus: Primùm, ut sincerè doceatur, & recipiatur recta doctrina  
nostræ justificationis per Christum, Gal. 2. v. 5. & 14. Deinde,  
ut sermo ille veritatis fructum copiosum & convenientem  
proferat, Coloss. 1. v. 5. & 6. id est, sicut dignum est Euangelio Chri-  
sti, nos geramus. Philipp. 1. v. 27.

VI.

Negat enim D. Paulus, Ephes. 4. v. 5. & 6. eos Christum &  
eam veritatem, quæ est in Christo Jesu, rectè didicisse, qui in  
vanitate mentis suæ versantes, cupiditatibus hujus seculi in-  
dulgent. & 1. Thess. 2. ait, se Euangelium sic prædicasse, ut per-  
petuò auditores suos sit obtestatus, ut ambularent sicut di-  
gnum est D E O vocante nos ad regnum suum & gloriam.

VII.

Qui habet Fidei veritatem (inquit Cyprianus) servat Dei De opere  
timorem: Qui autem Dei timorem servat, etiam caritatem & eleemo-  
& misericordiam erga pauperes servabit.

VIII.

Quod ipsum sæpe inculcat D. Paulus, eos videlicet, qui fi-  
de vivunt, Christum habere habitantem in cordibus suis: nō  
vivere amplius secundum carnem, sed secundum ductum il-  
lius Spiritus, qui Christum ex mortuis excitavit: Qui verò  
Spiritu illū Christi nō habet, haudquaquā posse gloriari, se  
esse Christi, vel, quod eodē redit, verè Christianos & Euāgelicos.  
Illius

Rom. 1.

Ephes. 3.

Rom. 8.



**IX.**

*Gal. 5.*

Illius porrò spiritus *ἐνεργήματα* non solum sunt fides, gaudium & pax spiritus: verum etiam charitas, lenitas, benignitas, bonitas, mansuetudo, temperantia, & c.

**X.**

*Matth. 1.*

*Tit. 2.*

Sicut & Euangelium, licet propriè sit doctrina gratiæ in Christo exhibitæ: conjunctam tamen habet adhortationem ad pœnitentiam, quia pœnitentibus demum & credentibus gratia illa salutifera promittitur, quæ nos erudit, ut abnegata impietate & mundanis cupiditatibus, temperanter, justè & piè in hoc seculo vivamus.

**XI.**

Et 1. Timoth. 1. monet Apostolus, omnes illos à scopo aberrare, qui vel consentanea fidei, & sanæ doctrinæ non lectantur, sed ad curiosas ac vanas quæstiones animû adjiciunt: Vel sunt *ἀτακτοί*, Legis divinæ contemptores, mendaces, perjuri, & c: quæ omnia sanæ doctrinæ, quæ est secundum Dei gloriosum Euangelium, opposita sunt, (inquit ibidem D. Paulus.)

**XII.**

*In Apologet. & ad scapul.*

Quemadmodum & Tertullianus veteribus Christianis hoc tribuit elogium, quod non verbis solum, verum etiam factis docuerint, non aliunde magis agniti, quam ex emendatione vitiorum pristinorum.

**XIII.**

*Matth. 5.*

*Philipp. 4.*

Ut enim Sol per radios, quos spargit, & pretiosum unguentum per suam fragrantiam sese prodit: Sic lucet lux filiorum DEI in sancta conversatione, & omnibus pietatis officiis, ut sint omnes eorum actiones instar thymiamatis bonæ fragrantia coram Domino.

**XIV.**

Quapropter CHRISTIANUM virum definit Eusebius lib. 1 Hist eccles. cap 5. qui per Christi cognitionem & doctrinam animi moderatione & justitia, continentiaque vitæ, ac pietatis confessione excellit.

**XV.**

Ex his jam facile erit colligere id, quod his thesibus demòstrare potissimum instituimus: quoniam nimirum sint Pseudœuangelicæ,



7.  
euangelici, sive qui falsò Euangelicorum appellationem sibi  
atribuant, quamcunque tandem speciem in Ecclesia habeant.

XVI.

Ac de hæreticis quidem, id est, contra veritatem Euange-  
lii de Persona Christi, vel ejus officio pertinaciter sentienti-  
bus, ac docentibus, aut illud cum Lege confundentibus; pro- *Cal.*  
nunciat Scriptura, eos transferri in aliud Euangelium, quod *Cal.*  
Christus non tradidit, & quantum in ipsis est, invertere Eu-  
angelium Christi; esse vacuos Christo, & è gratia excidisse.

XVII.

Et licet Euangelium, & nomen Jesu, illorum plerique p- *Irenæus lib.*  
tendant; nomine tenus id fit; & quoties ab Euangelii veritate *3. cap. 12*  
urgentur, ad humanas auctoritates confugiunt, sua somnia,  
falsasque hypotheses normam veritatis esse volunt, alii cer-  
tos Euangelistas excludunt, ut Ebion & Marcion olim; alii  
nova quædam Euangelia jactant, ut Valentiniani faciebant.

XVIII.

Alii contra veritatem Euangelii, beneficia Euangelii, so-  
cietatem nempe cum Christo, regenerationem: imò ipsam  
electionem ad vitam æternam, ad reprobos ipsos extendunt:  
alii dona Christi, & efficaciam Spiritus Sancti elementis ex-  
ternis & corruptibilibus affigunt.

XIX.

Verùm contra hæreticos, aut eos qui in ipsa doctrina ab  
Euangelio aberrant, non est in præsentia nobis propositum  
multis differere: quod jam sæpe factum est, tum in doctrina  
de Electione æterna, de persona Christi, & ejus officio, tum  
de Sacramentis: ita ut de rebus tam apertis, & sole lucidiori-  
bus respondere toties, nihil aliud esse videatur, inquit Atha- *Ad Maxim.*  
nasius, quàm hominibus tam pravè agentibus majorem an- *Philosoph.*  
sam improbitatis, audacia que suggerere.

XX.

Disputandum nobis potiùs hoc tempore arbitror contra  
eos pseudeuangelicos, qui in sinu nostro sunt, & Euangelio

B



ad libertatem carnis abutuntur, & dum nihil nisi Euangelicū  
um, & Euangelicum nomen crepant, nihil minús quàm  
Euangelicè vivunt, & agunt.

X X I.

*Psal. 119.* Verissimè enim nobis competit, quod ab Ambrosio di-  
ctum est: *Quia amissimus exercitium, sc. crucis: tentant otia eos, quos  
bella non frugerant: periculosa quippe pacis otia, & in pace saepe plures  
hostes. persecutionesq; graviores oriuntur.*

X X II.

Imò (quod maximè dolendum) in illis ipsis Ecclesiis, quæ  
variis bellorum procellis jactantur, innumeros invenias tã  
dissolutos, ut vita & mores ipsorū, Euangelicū spiritū Euā-  
geliq; *ἐρέπρασεν* planè nō redoleāt: q̄ facit, ut recorder ejus  
querelæ, quæ extat Ezech 20. *Domus Israel in ipso deserto mihi  
rebellis fuit, & judicia mea projecit.*

X X III.

*Machiav. cap. 17. & lib. de princ.* In hac Pseudeuangelicorum classe primum locum tenet  
ii, qui Machiavellicis artibus, & principiis imbuti, tum ipsi  
per se religiosissimo se simulant, licet animum gerant pro-  
fanum, & totum ambitioni, avaritiæ, aliisque cupiditatibus  
addictum, tum etiam principes viros ad hujusmodi simula-  
tionem assuefaciunt, ac interim pios ministros, & alios viros  
omnes sinceros & candidos clam in odium atque invidiam  
vocant.

X X IV.

*Lib. 1. offic.* Totius certè injustitiæ (ut præclarè Cicero scribit) nul-  
la est capitalior, quàm eorum, qui tum, cum maximè fallūt,  
id tamen agunt, ut viri bonè esse videantur.

X X V.

*Gen. 17.* Ideò jubetur Abraham coram DEO, id est, in omni in-  
tegritate, tanquam coram conspectu DEI omnipotentis  
ambulare. Sicut & laudantur illa Davidis dicta: *Ambulare fac  
me per veritatem tuam: item: Integritas & rectitudo custodiant me:  
item Cor pravam recedet à me. Detrahent in secreto proximo suo  
hunc excindam: Oculi mei ad fideles terra, ut sedeant mecum.*

X X VI.

Et his succinit Apostolus, Philipp. 1. Sitis sinceri, ut inoffenso  
psdo



7.  
pede pergatis ad diem Christi: & cap. 4. Fratres, quaecumque sunt vera  
quacumque, veneranda, quacumque, iusta; quacumque, pura, quacumque, amabi-  
lia, has cogitate.

XXVII.

Inter pseudoeuangelicos merito etiam numerari, graviter-  
que reprehendi, illi Ecclesiarum doctores, aut pastores de-  
bent, qui licet non falsum doceant Evangelium, ad munera  
tamen Ecclesiastica, & ad Evangelium docendum accedunt,  
non ut serviant Evangelio; sed ut eis Evangelium serviat, ut  
ferantur à cruce, non ut crucem ferant; & vel opes, vel di-  
gnitates consequantur, sicut hodie, pro dolor, per multi-  
lacres sunt ad præbendas magnas, redditusque opimos con-  
servandos, segnes ad curam pastorem.

XXVIII.

Tales erant illi, de quibus D. Paulus, Philip. 1. v. 2. & 3. qui  
Christum non puro animo, & ex vero pietatis zelo prædi-  
cabant: quæ sua ipsorum erant, quærebant, non quæ sunt  
Christi Jesu: nec ferebantur scopum versus ad palmam su-  
pernae vocationis DEI in Christo Jesu: quorum Deus erat  
venter, qui que terrestria tantum curabant.

XXIX.

In eodem numero, imò omnium perniciosissimi habendi  
sunt, qui nulla habita ratione veritatis, nulla ædificationis  
& pacis Ecclesie, ut sua quædam dogmata tueantur, profa-  
nos de rebus inanibus clamores excitant, & novas quotidie  
excogitant *ἀντιθέσεις τῆς ἀληθείας* & animalia & da-  
monica sapientia præditi, invidiam amarā contra alios re-  
tinent, & adversus manifestam veritatem mendaces esse ma-  
lunt, quàm videri vincti à veritate; quæ tamen eos, vel invitos  
tandem vincet.

XXX.

Illos non temerè Augustinus idololatrias peiores pronun-  
ciat, qui scientes quod verum est, animositate perversa con-  
tra notissimam veritatem dimicant.

XXXI.

Sunt & illi pseudoeuangelici doctores, & pastores, qui do-

B 2



Erinam fidei sic tradunt, ut pœnitentiam, obedientiam Eu-  
angelio debitam, ac regenerationem prætermittant, vel ad-  
modam frigidè tradant.

*XXXII.*

Hinc emergit magna illa pseudeuangelicorum colluvies,  
qui se totos Euangelicos putant, si diebus Dominicis parti-  
culam aliquam historiae Euangelicæ audiant, semel in anno  
ex opere operato, præscriptis verbis confessiunculam aliquã  
in aures pastoris insurrerent, & die Paschatis hostiam (ut vo-  
cant) deglutiant.

*XXXIII.*

Interim eis totus annus in ebrietate, luxuria, maledicentia,  
invidia, rapinis, & aliis operibus carnis consumitur: eorum  
os blasphemis scatet: nihil tam odiosum, tam prodigiosum  
ipsis, quàm si de novitate vitæ, sive vita ad normam Euange-  
lii componenda admoneantur: si quis vel moneat, vel bono  
exemplo præluceat, hypocrita, statim, aut Anabaptista voca-  
bitur.

*XXXIV.*

Et hi sunt ferè nostri seculi mores: ut multi sint auditores  
verbi, factores pauci: multi nomine Euangelici, re ipsa pauci,  
ac si Euangelicum faceret auditus aliquis externus, vel exter-  
na p̄fessio, vel fides nos aliqua mortua, & otiosa justificaret.

*XXXV.*

*Tit. 2.*

*Exposit. 2.  
super Mat.  
homi. 49.*

Magnus denique est eorum numerus, qui se profitentur  
DEUM scire, sed factis negant, cum sint abominandi, rebel-  
les, & ad omne opus bonum reprobi: Ut verè omnino usur-  
pari illud Chrysostomi nostro tempore p̄sistat: *ex moribus olim  
cognoscebatur ecclesia christi: nunc Christiani gentibus peiores sunt  
facti: Unde igitur vera ecclesia cognoscetur, nisi per Scripturas.*

*XXXVI.*

*Gal. 6.*

Interim DEUS, qui scoriam ab argento, zizania à tritico  
optimè discernere potest, sibi illudi non patietur, & quicquid  
feminaverit homo, hoc metet.

*XXXVII.*

*1 Cor. 6.*

Is autem p̄simum testatur, non solum idololatriam, & fal-  
sitas



7.  
tam doctrinam, cum veritate Evangelii pugnare, & à societate vitæ æternæ excludere: sed & sceleratam vitam, cor pravū, *Gal. 5.* invidias, cædes, ebrietates, & his similia: neque eam fidem se agnoscere, quæ sterilis sit, & infructuosa. *Eph. 5.*

XXXVIII.

Sic enim & Christus ipse loquitur, Matth. 9. Veni, ut vocare peccatores ad penitentiam. & Joh. 8. Ego sum lux mundi: qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ: ut & 1. Joh. 1. Renunciamus vobis, Deum lucem esse, nec tenebras in eo ullas esse. Si diximus nos societatem habere cum eo, & in tenebris incedimus, mentimur, nec sincere agimus. & Mar. 14. Si quis vult post me venire, abneget semetipsum.

XXXIX.

Ut rem itaque in pauca conferamus, causa tum formalis, tum finalis hinc observanda est: Haudquaquam nimirum est censeretur Evangelicum, vel Christianum, qui talem se duntaxat profiteatur: vel qui Baptismi, aut S. Cœnæ symbola perciperit: Sed qui in Christum verè credat, Christum induat. Qui verò illum induunt, & Christi sunt, carnem crucifigunt *Gal. 3. & 5.* cum affectibus pravis, & concupiscentiis, & secundum ductum Spiritus Sancti vivunt.

XL.

Et baptismus ipse nos admonet de mortificatione vitæ prioris, & ad novam vitam quasi resurrectione, cum non in depositione sordium corporis sit positus, sed in attestatione *Rom. 6.* bonæ conscientie coram DEO. Noli ergo gloriari de Baptismo, *1. Pet. 3.* inquit Augustinus, quasi ex ipso tibi salus sufficiat: Non omnes qui foris baptizantur, intus sunt baptizati: Foris multi baptismum habent *Trad. 6. h.* ad perniciem, ut Simō magus habuit: intus si habueris, prodest ad salutem. *Johan. Jac. 2.*

XLI.

Ita & fides illa demum laudatur, quæ est viva, id est, quæ sese exerit per opera, quantum illa in hac vita præstari possunt: & per charitatē, & alia pietatis officia est ενεργητική: Sed rursus, ut monet Chrysostomus. εδ' ἐν ὀφελὸς ἀγάπης πλείους καρπὸς: εδ' ἐν γένει τοῦ ἀγαπᾶς ἑτέρως. *Gal. 5.*

B 3)



**XLII.**

Causam porrò finalem adventus Christi in mundum, & prædicati Evangelii, hanc passim tradit Scriptura: non solùm, ut intellectus illustretur cognitione gratiæ divinæ, vel ut redimeremur à maledictione Legis: Verùm etiam ut inhiis Christo, & participes facti spiritus ejus: novæ creaturæ, scilicet quoad qualitates, & novos sanctosque motus, fiamus. 2. Cor. 5. Gal. 6. Eph. 4. v. 24. item: Coloss. 1. Vos quondam ab alienatis, & hostes, mente operibus malis intenta, reconciliavit, ut sisteret vos sanctos, & irreprehensos, & inculpato coram se: siquidem permanetis in fide fundati & firmi, nec dimovemini à spe Evangelii, quod audistis. & 1. Thess. 4. Nostis quæ mandata dederimus vobis per Dominum Jesum: Nam hæc est voluntas Dei, nempe sanctificatio vestra.

**XLIII.**

Cæterùm nunc paucis occurrendum est morosis nonnullis hominibus, Donatistis, Anabaptistis, & Schyvenckfeldianis, qui ex tot pseudeuangelicis, qui inter nos vivunt, concludere volunt, cætos nostros non esse Evangelicos, nec nostrum Evangelium verum illud Christi Evangelium: ideò justam se occasionem habere subducendi se à nostris cætibus.

**XLIV.**

Lib. 3. de  
Bapt. cont.  
Donatistas  
Contr. epi.  
parmen.  
lib. 3.  
Cont. cre-  
scen. Græ-  
nat. lib. 3.

Meras certè illi nebulas imperitis offundunt, ut de Donatistis sui temporis scribit Augustinus: & sacrilega præsumptione secedentes à nostris cætibus, se solos sanctos arbitrantur: Nam & multa crimina gravissima, quæ illis ipsis sæpe obijciuntur, negare non possunt: & in nostris Ecclesiis partim culpant, quæ culpanda non sunt: partim ea obijciunt, quæ probare haudquaquam possunt: partim ex illis nævis, qui inter nostros conspiciuntur, alienas astruunt conclusiones.

**XLV.**

Habac. 2.

Ebrietatem, temulentiam obijciunt illi, qui superbia & cõttemptu proximi, omnium periculosissima ebrietate temulentifunt: de fructibus laborant, de radice interim parùm solliciti, quæ si bona non est, nec fructus boni esse possunt.

Matth. 12.

**XLVI.**

Ac Schyvenckfeldius quidem in suo tractatu de Evangelio



7.  
Ho. & abusu Euangelii, non tam Euangelicos, quam ipsius  
Christi Euangelium subsannat: negans Euangelium proprie  
dici prædicatum de Christo doctrinam; sed internum quen-  
dam afflatum, quem Christus ipse extra prædicationem in  
cordibus hominum efficiat.

#### XLVII.

Euangelicos etiam non ut nos, definit, baptizatos in no-  
mine Christi, & prædicatum Euangelium audientes cū ob-  
edientia fidei; sed cœlitus renovatos, & aqua cœlesti bap-  
tizatos, separans Spiritus S. efficaciam ab Euangelii prædicatione.

#### XLVIII.

38.  
39.  
Ita homo ille unum extremum fugiens, eorum scilicet, &  
Spiritus S. efficaciam omnem, vel ad professionem externam,  
vel ad signa externa alligant, in alterum extremum incidit;  
negans prædicationem & sacramenta esse instrumenta, per  
quæ Christus & Spiritus S. efficaciter in electis operentur, ut  
convertantur, regenerentur, fidesq; excitetur & cōfirmetur.

#### XLIX.

41.  
42.  
43.  
44.  
45.  
46.  
47.  
48.  
49.  
50.  
Exagitat in primis dicta quædam Lutheri, qui dixerit, nul-  
lum peccatum nocere credenti, & omnia peccata in Christi  
cruce crucifixæ fuisse; solam nobis fidem ad salutem necessa-  
riam; nec animadvertit primum, ita extolli fidem cōtra Pha-  
risaicam opinionem de iustitia operū: Deinde, excludi opera  
à causa & merito justificationis; non autem à moribus iusti-  
ficatorum.

#### L.

Denique, ut sæpe Donatistis respondit Augustinus, non  
observant illi homines, Ecclesiam in Scripturis dici sanctam,  
non quòd jam talis sit habitualiter, sed propter imputationem  
obedientiæ Christi, & propter vocationem ad sanctitatem,  
in qua fideles quotidie proficere debent.

#### LI.

Quapropter Evangelicæ manent nostræ Ecclesiæ, licet  
inter nos multi sint pseudeuangelici, quemadmodum & tales  
in Christi contubernio & Apostolorum coetibus fuerunt.

Nam



LII.

Nam & tota veritas Evangelii de fide in Christum, & moribus justificatorum, sive obedientia Evangelio debita fideliter in nostris Ecclesiis traditur, & graviter quotidie reprehenduntur, qui ab illo scopo aberrant, licet nos multa zizania usque ad Christi adventum tolerare oporteat, & illud libenter largiamur, inter Evangelicas Ecclesias alias aliis propius ad veritatem Evangelii accedere.

LIII.

Et deplorant quotidie multis cum gemitibus omnes pii pastores Evangelici in nostris Ecclesiis tantam securitatem, & *ἀταξίαν*, tantam juventutis petulantiam, atque licentiam, exoptantque majorem zelum, nec non accuratorem Ecclesie politiam, quo ad censuras, & admonitiones publicas & privatas & excommunicationis usum, propter certas causas in nonnullis locis, ubi praesertim nimis multi sua sponte se a ceteris subducunt, intermissum.

LIV.

Et operae pretium omnino esse vident iidem pastores, quemadmodum Lutheri tempore contra imaginariam & monasticam justitiam operum, doctrina de sola fide justificante inculcata fuit: sic nunc hominibus in tantam securitatem & profanitatem ruentibus, contra fidem mortuam frequenter disseratur, & doctrina de fructibus fidei, sicut a D. Jacobo in epistola factum est, diligentissime inculcetur.

LV.

Interim intolerabilis est Anabaptistarum, & Schvyenfeldianorum morositas, qui in navos duntaxat nostrorum, oculos conjiciunt, totique in examinandis & exagitandis aliorum vitiis occupantur: saluberrimam vero doctrinam, quae in nostris Ecclesiis proponitur, & tot hominum millia, qui cum gemitu vident profanitatem hujus seculi, & abnegantes seipsum Christo per gloriam & ignominiam serviunt, non agnoscunt, neque collaudant.

Bernardus Dominica & post pentecosten.

Evangelium speculum veritatis nemini blanditur, neminem seducit.

Tractatiuncula





## Tractatiuncula de Opere operato

**P**US operatum, locutio est jam olim usurpata à Scholasticis, & adhuc Pontificiis Dd. admodum familiaris, praesertim in doctrina de Sacramentis. Et quia sacerdotes Pontificii hic sibi creandi partes asseribunt, phrasis illa ex historia Creationis sumta videtur: ubi inter reliqua haec verba exstant, Complevit Deus die septimo opus suum, *Genes.* quod operatus est, &c. Hinc operatum (deponente verbo cōverso in passivum) opus à Sacerdote, vocarunt. Opus ab eo factum & completum in administratione Sacramentorum, per pronuntiationem certorum verborum: cujus operis eam efficaciam esse tradunt, ut per se immediatè hominem sanctificet, ita ut quicumq; eo utatur, vim ejus statim sentiat; nec ad hoc requirunt fidem aut pœnitentiam utentis. Sicut enim opera illa, quæ sex diebus operatus est Deus, in omnes homines vim suam exerunt promiscue: v. gr. Sol calefacit Judæos, Turcas & bestias etiam; non minus quàm fideles: Piper calefacit stomachum, sive Judæus eo utatur, sive Turca, sive Christianus, sive etiam brutum: nec suspendunt opera illa suas actiones à fide utentium. Sic statuunt Pontificii, Sacramentorum virtutem propriam esse, Conferre gratiam justificantem ex opere operato, hæc. vi externa & sacramentalis actionis: & quidem omnibus non ponentibus obicem peccati mortalis, licet alioqui vera fide & pietate vacuis, imò furiosis, insanis, dormientibus, &c. Vide Bellarm. Tom. 3. lib. 2. c. 3. ubi de effectu Sacramentorum disputat.

Hoc ut perspicuè intelligatur, primò videndum est, quis sit ipse operans, ut à Pontificiis vocatur. Deinde manifestum erit, quod ejus sit effectum, nempe opus operatum. Quod ipsum deinde habet rationem causa efficientis, respectu communicantium: quibus scilicet opus operatum dicunt conferre gratiam & vitam æternam. Ope-

C



rans igitur in Sacramentis, & nominatim in Eucharistia Pontifi-  
cis dicitur precipue sacerdos unctus ab Antichristo; non minister  
Euangelii, qui explicat verba Christi. Illum vero tunc vocant ope-  
rantem, cum conficit ex pane corpus Christi, seu cum panem in cor-  
pus Christi transsubstantiat, & per concomitantiam in totum Chri-  
stum Deum & hominem convertit: nempe pronuntiando verba  
hæc super panem: Hoc enim est corpus meum, sive meus, pro-  
ut Latina lingua peritus fuerit. Si enim non requiritur minori fi-  
des & probitas, ad hoc ut operetur & conficiat: multo minus requi-  
retur eruditio, nec oberit Latina lingua ignorantia, modo legere  
possit. Tradunt autem, requiri ad hanc operationem precipue & p-  
cisè quinq; illa verba: utpote quæ formam essentialem Eucl. & stie  
constituunt, & vim, signa ipsa transsubstantiandi in se continant.  
Itaq; non modo non fidem aut probitatem (ut iam diximus ex Bel-  
larmino) requirunt in sacerdote, sed ne attentionem quidem: modo  
pronuntiet verba illa cum intentione faciendi id quod facit Eccle-  
sia, h. e. cum proposito mutandi substantiam panis in corpus Chri-  
sti: licet in ipsa operatione neq; intelligat verba quæ pronuntia, neq;  
attendat; sed cogitationibus suis alio distrahatur. Ut si cui persua-  
deam iuveni, modo cum aliis veritas in scholam discendi gratia,  
hoc modo bene doctum fore, & boni scholastici munere perfunctum,  
licet prælectionem nec intelligat, nec ei attendat, sed cogitationibus  
alio vagetur. De operante hoc sacerdote in libro, quo Galli sacerdo-  
tes utuntur in suis sacris, Triviaris appellato, Lutetia impresso ab  
Odino Petit, tit. de dignitate sacerdotum, sic scribitur: Sacerdos  
est creator sui Creatoris: Item, Qui creavit me sine me, jã  
creatur mediante me, &c.

Haecenus de causa efficiente, scil. Sacerdote operante. Jam ipsius  
effectum est opus operatum, h. e. opus ab operante confectum, vir-  
tute certorum verborum, quæ consecratoria sive operatoria vocant.  
Atq; hoc opus illud est, quod deinceps etiam sine bono motu uten-  
tis dicunt conferre gratiam justificantem, i. e. sanctitatem & justi-  
tiam: quia in hunc ipsum finem sit confectum, & vim istam ha-  
beat

Bellar. 3. l.  
4. c. 12. &c.



7.  
beat virtute illorum verborum sibi penitus insitam. Tons autem  
erroris est, quod putarunt, verba instituentis Sacramentorum in  
N. T. non esse directa ad obsequendam promissionem gratia, cum  
mandato obedientia seu resipiscencia, sed iudicarunt verba illa esse  
creationis verba, quae ex Sacramentis facerent opera operata, seu  
confecta & completa: quae deinde in animum hominis sua propria  
& insita virtute agerent, etiam sine bono motu utentis: uti dixi de  
Sole & pipere, &c. Cum autem opera haec operata, iudicio ipsorum,  
agant virtute insita, instar purgantium medicamentorum; ideo  
scribunt cautelas, quibus caveatur, ne opera illa operata ab utenti-  
bus respiciantur, nec proinde vim suam exserant. Sicut enim medi-  
camenta ab aegroto hausta, nec retenta, non purgant; ita nec hoc o-  
pus operatum purgat animos, nisi retineatur. Legat qui volet libel-  
lum Venetis apud Franciscum Bindonam impressum, cui tit. Tra-  
ctatus sacerdotalis, auctore Dn. Nicolao de Plove Doctore decretali-  
um. Qui de cautelis circa Eucharistiam haec verba scribit: Caveat  
communicandus (ecce hic. Communicans, ut nos loquimur, ra-  
tione operis operati est effectum, vel subjectum saltem, quod passivè  
se habet, & patitur sibi q. infundi gratiam & vitam aeternam) Ca-  
veat, inquit, Communicandus, ne post communionem  
cibus lubricis, aut potibus, qui possunt vomitum provo-  
care, utatur; sicut fieri solet in Pascha, ubi tunc utuntur  
Iardo cocto in frigidato, ovis in frigidatis, & aliis cibus, ex  
quibus frequenter sequitur vomitus: Quales etiam sunt  
Vestphalica perna, quas Mogantiâ in Galliam deportant opulè-  
ti mercatores, &c. His igitur vestii vetat, ne inde vomitus creatur,  
& sic Eucharistia sacramentum, si forte fuerit eiectum, fructu suo  
careat, seu vim suam non exserat. Cui affinis est illa superstitiosorum  
multorum opinio, nefas esse sc. dentibus attingere hostiam, quam  
vocant: Item, post communionem in terram exspuere: ne videlicet  
reiciatur sacrum illud, quo donati sunt. At si retineat communi-  
sans opus operatum intra se, tum sine bono etiam illius motu, imò  
etiam si ipse nihil intelligat, tamen in ipso operatur.

38.

39.

42.

50.

43.

49.

44.48.

449.

476.



Sed quia non solum magna insolentia & impudentia, sed etiam fluctuante conscientia hoc torum asseverabant, idcirco addiderunt unam exceptionem, nempe, nisi ponatur obex peccati mortalis. Tunc enim gratiam justificantem ex perceptione Sacramentorum non ita fluere concedunt, cum in ipso eorum usu mortalibus sive gravioribus peccatis indulgetur: non secus ac si piper reperiat stomachum oppletum frigidis humoribus, tumque impediatur ejus actio, veluti opposito obice. Quae exceptio sive cautio superiorem illum crassissimum errorem aliquo modo sane mitigare videtur: quatenus hoc saltem requirit, ne, dum sacramentum percipitur, actuale propositum adsit mortaliter sive enormiter peccandi; adeoque ne in manifesta impaenitentia pergat, aut gravi aliquo in scelere vel crimine haereat, qui sacramenti vim salutarem percipere velit. Nempe quum in his turpe videbatur, apertissimis Dei contemptoribus, sive obstaculis percis & tanibus (ut Scriptura istos appellare solet) salutarem illam Christi gratiam prostituere; & per sacramenta, velut infundibula quadam, etiam nihil tale cogitantibus, & tantum non invitis ac reluctantibus infundere. Sed tamen haec cautio turpitudinem praedicti dogmatis haudquaquam tegere, nedum prorsus abolere potest: quum nihilominus gratiam Dei justificantem sacramentalibus signis includat, eamque per externos ritus sive actiones sacramentales a quovis utente, licet vera fide & pietate destituito (si modo tunc temporis a crassis & enormibus peccatis absteineat) re ipsa comparari ac percipi statuat: atque ita latam & spaciosam salutis aeternae viam, viae scilicet a Christo monstratae contrariam, inducat, h. e. omnem vere fidei & pietatis Christianae necessitatem tollat, & homines in carnali securitate atque impaenitentia manifeste detineat, &c.

Vide Apol  
log. August.  
Confess. art.  
de Sacra-  
mentis, &  
legitimo e-  
jus usu.

Hoc igitur opus operatum ab omnibus Ecclesiis Evangelium Christi profitentibus uno consensu rejectum quidem est; sed, pro dolor, plerique, id in effectu retinent; alii vero quid id sibi veluti plane nesciunt. Quae enim alia causa est, quod magna istorum hominum pars ad Sacramentorum quidem usum convolant, interim de vera fide



in fide & pietate, de qua illa testantur, parum solliciti? Causa est p-  
fectio hac de opere operato opinio, quasi Sacramenta per se immedi-  
ate, seu quodam sibi diuinitus infusa virtute nos purificarent. Ad  
quod accedit ignoratio ordinis, quem Deus servat in inuendo no-  
biscum pacto seu federe gratia. Ordo autem is est, quod Deus & in  
verbo & in Sacramentis vocat nos ante omnia ad poenitentiam  
& fidem, eamq; a nobis exigit: & deinde respondentibus DEO  
vocanti, id est, parentibus, poenitentibus & credentibus, promittit  
remissionem peccatorum, & c. Præpostere igitur faciunt, qui omit-  
tentes poenitentiam & fidem, incipiunt se consolari remissione pec-  
catorum, cum Deus ibi non incipiat. Sic enim & Baptista & Chri-  
stus ipse conciones suas a poenitentia & fide auspiciati sunt. Et eun-  
dem ordinem Christus Apostolis suis præscripsit, ut Luc. ult. oportet  
prædicari in nomine ipsius poenitentiam & remissio-  
nem peccatorum. Sic Act. 2. interrogati Apostoli: Quid facie-  
mus, viri fratres? respondent per Petrum, Resipiscite, & bap-  
tizetur unusquisque. Et Act. 17. Nunc præcipit Deus omni-  
bus hominibus, in omni loco, ut poenitentiam agant. & c.

Quæ etiam causa alia est, quod Sacramenta, quæ signa & sigil-  
la fœderis diuini sunt, & administrantur & petuntur iis, qui suis  
sceleribus ostendunt se non esse in DEI federe? (quales sunt inju-  
sti, scortatores, idololatra, adulteri, fures, avari, ebriosi, & c. de qui-  
bus scriptum est, eos non habere hereditatem in regno Christi &  
DEI) & tamen nihilominus horum liberis sacer administratur  
Baptismus, & ipsis datur Eucharistia etiam absq; seria præeunte  
resipiscencia; modo pretium sacerdoti operanti pro opere opato nu-  
merent: sicut Judæ pro traditione Christi simile pretium olim nu-  
meratum fuit. Dicam amplius de illis circumcellionibus, furibus  
& nebulonibus, qui identidem per oras has vagantur, fœx homi-  
num & sentina malorum (quos Ethnicos, vel Ziguinos, vel Tartar-  
os vulgò vocant) Si, inquam, illi pro suis infantibus petant baptis-  
mum, ut hoc modo aliquid pecunie corradant a Christianis susce-  
ptoribus seu baptismi sponsoribus, & illis baptismus administre-

O'cviante  
in notis ad  
Ephes c. 5.

1. Corint. 6.  
Ephes. 5.



itur, armoniā conjunctum est magna cum contumelia & conspur-  
catione S. Baptismati? cum non solum parentes illorum plusquam  
et hinc vident, sed illi etiā in baptizati infantes in eadem perfidia  
educuntur.

1. Cor. 5.

2. Cor. 7.

Neq; est quod quis mihi objiciat, de illorum salute non esse de-  
sperandum, maxime si antequam adoleverint moriantur. Ad qua  
rispondeo cum Apostolo, Quod mihi necesse est, de iis qui fo-  
ris sunt judicare; nonne de iis qui intus sunt vos judicatis?  
Deinde cum eodem Apostolo dico, ut liberi sancti sint ratione  
foederis, & sacrum foederis signum & sigillum ad eos per-  
tineat, requiri ut alteruter saltem ex parentibus sit fidelis.  
Quosvis enim ad Baptismum admittere in veteri Ecclesia inus-  
tatum fuisse, vel illud saltem ostendit, quod adultos infideles prius  
oportuit catechumenos fieri, quam baptizarentur. Similiter nec  
quosvis olim ad S. Coenam admissos fuisse, ex Veterum scriptis, pra-  
sertim ex epistolis Cypriani & Apologetico Tertulliani notius est,  
quam ut prolixiorē orationem hoc loco desideret. Unde merito  
colligendum nobis erat, opinionem illam operis operati veteri &  
puriori Ecclesia Christi prorsus ignotū fuisse, & p̄inde nūc quoq;  
velut spurium dogma, rejiciendam nobis ac detestandam esse.

Gen 4. 4.  
Hebr 11. 4.  
Rom 4. 11

Posti emō adve. sus hoc opus operatum illud quoq; sciendum, Sa-  
cramenta non esse opera physica, quae hominem propria sua vi aut  
infusa qualitate sanctificant, sed esse signa foederis & sigilla annexa  
promissioni gratiae: & proinde nullis aliis promissionem obsignare,  
quam iis ad quos promissio foederis pertinet, hoc est, fidelibus, quō  
jam antē sunt reconciliati DEO & sanctificati per fidem in pro-  
missione gratiae acquiescentem. Quod si infideles ea usurpent, tamē  
ale t, ut promissionem iis ratam faciant, qua nihil ad eos pertinet,  
aut ut solo usu signorum rem signatam, h. e. sanctificationem con-  
sequantur, qua in verbo iis non promittitur: ut contra perjuri se  
reos faciant, jurantes DEO fidem & resipiscētiā, qua planē de-  
stituuntur, immō ipsa etiā sacra sigilla per jura conscientia & per-  
juro c. mactu suo polluant. Tit. 1. v. 15. Evidentiſſimē id Dominus


obor.




7.  
ob oculos ponit apud Haggæum c. 2. v. 12, 13, 14, 15. In Sacramentis  
V. Testamenti (cum quibus Sacramenta N. T. eandem hac in parte  
rationem habent. 1. Cor. 10. v. 1, 2, 3. dum inter alia de illis eorumque  
profanatione sic loquitur:) Hæc dicit Dominus exercituum,  
Interroga sacerdotes legem, dicendo; si tulerit homo car-  
nem sanctificatam in ora vestimenti sui, & tetigerit ora  
suâ panem, aut pulmentum, aut vinum, aut oleum, sive  
quemlibet cibum: nunquid sanctificabitur? Responden-  
tes autem sacerdotes dixerunt, Non. Et dixit Haggæus; Si  
tetigerit pollutus in anima, aliquid illorum, nunquid cõ-  
taminabitur? Et responderunt sacerdotes, & dixerunt, Cõ-  
taminabitur. Cæpit itaque Haggæus dicere; Sic est popu-  
lus iste & gens ista ante faciem meam, dicit Dominus, &  
sic omne opus manuum eorum, & omnia quæ obtulerunt  
ibi, contaminata sunt. Vide etiam Malach. 2. v. 1, 2, 3. & passim  
alibi. Finis & summa dictorum est, ut Spiritus S. nos doceat, da-  
mnari omnia opera, quæ non manant ex vera fide, sive pio, recto &  
simplici cordis affectu, & quæ non diriguntur in legitimum suum  
scopum, ut scilicet homines se D. E. O. subiciant, & sanctæ ejus  
voluntati per veram in Christum fidem obtemperent,  
atque ita promissam D. E. I. gratiam & salutem  
æternam magna cum fiducia & spe cer-  
tissima patienter expectent.

F I N I S






































IV.

ca genus non est ars nec prudentia.

ut prolixi sumus, nulla flagitat necessitas: unico igr  
ur: quicumq; habitus philosophicus non est practi-  
ca vitia & virtutes, circa contingentia, circa ea quæ  
adunt, illius quoq; genus esse nequit. Atqui Meta-  
talis habitus Erg. genus ejus prudentia esse nequit.  
t prudentiæ propria indoles, ut minorem ipsius  
a, quæ est mera theoretica seu speculativa. De arte  
dam movere ausi sunt, quibus opponimus hanc ar-  
ti non competit definitio artis, illius genus ars esse  
yficæ non competit definitio Artis. Erg. Major  
itio generis competit speciei generi subjectæ, quia  
eò est corpus animatum sensu præditum. Minor  
one artis. Ars, inqt. Philosophus 6. Ethic. est habi-  
ffe ctivus: hoc a. de Metaphysica nemo sanæ men-  
theor. transc. disp. 1. th. 28. p. 10. quia habitus pra-  
yfica, quomodo ars erit? Cum omnis ars sit habi-  
es habitus practici: Forsan species alicui compe-  
genus illius speciei? quod ego non crediderim,  
omo sit & non animal. Hæc ille. Artem contem-  
m Mart. part Metaph. l. 1. q. 2. s. 1. & Scharf. theor.  
p. 20. proclamamus σιδυρόξυλον. Nec juvat eum  
io, quam ex Luciano suo accurato illo definitore  
quæ quam perfecta & accurata sit, videatur Exc.  
b. 1. art. 3. s. 3. p. 10. Scheibl. Met. l. 1. c. 1. art. 2. n.  
p. 7. l. 1. quest. 1. & alii.

V.

e genus non est intelligentia.

usio non adeò sit apud Dd. Metaph. controver-  
a brevis ero: sicuti a. de scientia strictè ita dicta  
l ideò non possit esse gens Metaphysicæ, quia  
siones: ita nunc de intellectu dicimus, quod hic  
æ constituere nequeat, quia præcisè Principia  
mentum. Qui habitus in nudis acquiescit Prin-  
a. esse nequit. Ast intelligentia talis est. Erg. Ma-

A 3

ior